



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

7. Varioru[m] de stella à Magis, in Oriente, visa, vel errores, vel opiniones.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

incidunt calamitates? Certè illud mirari fati non possum, non modò, quòd Calendaria eiusmodi prædictionibus præriorum, cladium, mortium, fatorum pestilentissima, lucri causa, nonnulli excogitare, alij typis vulgare, alij vendere audeant; sed etiam, quòd tot reperiant emtores, lectores, creditores: immo à Catholicis Magistratibus ac Principibus, contra tot decreta Pontificum, fulmina Conciliorum, & adeò ipsa etiam iura legesque ciuiles, edere, vendere, legere, credere permittantur. Vtinam illud perpendere de expellendis incolis ad Israëlitas dictum: *Gentes istarum possidebis terram, augures & diuinos audiunt: tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es, à qua institutione si recesseris, vide, ne & tu extermineris.* Deut. 18. 14.

At putant, se patrociniū habere sacræ scripturæ, in qua Magi aduentus sui causam illam indicant: *Vidimus enim stellam eius.* Sanè D. Gregorius scribit, Priscillianistas docuisse, stellam hanc fuisse fatum Christi. Quibus accedunt Albumasar & ex eo author Speculi, quòd vulgò Alberto Magno ascribitur, alijque, qui autumant, Mundi Conditoem, in astris, prouidentiam suam, & ea, quæ per illam facturus est, certis notis signasse, & velut characteribus quibusdam inscripsisse. Vnde existimant etiam, in illa Christi stella, Christi ortum Magos legere potuisse; neque ortum tantum, sed etiam mores, miracula, vitamque vniuersam. Petrus de Aliaco Cardinalis & Archiepiscopus Cameracensis scribit, sub tempus Natiuitatis Christi, fuisse concursum Iouis cum Saturno, in Cancro: *in ipsa verò Christi Natiuitate, inquit, Horoscopus erat pars Virginis octaua (quæ religionis mutationes & partu Virginis significat) in culmine verò celi erat Saturnus; in imo autem Sol. Quem Seruatoris Horoscopus in figura spectandum exhibet Sixtus Senensis.*

Verum tametsi hoc de ascensu Virginis & benigno siderum in Christum nascentem aspectu fidei non repugnat, vt ait Salmeron; repugnat tamen rationi, stellam Magis Christi ex Virgine ortum, mores, miracula, singulæque facta ostendere potuisse. Quo pacto enim Christi ex Virgine ortus, transfiguratio, Crucifixio, Resurrectio, res tam supernaturales, arte naturali, qualis dicitur esse Astrologia, deprehendi potuissent? An characteres aliqui in ea stella cernebantur? & litteris fortasse scriptum ibi erat: *Virgo peperit: Christus natus est: Crucifigetur: In calum ascendet?* At cur eas litteras

VII.
Matth. 2. 2.
S. Gregor.
homil. 10. in
Euang.

Petrus de Aliaco Cardin. & Archiep. Camerac. q. 30. in Gen.
Sixt. Senens. lib. 6. Biblioth. c. 10.

VIII.